

esse posterior *Causa*, cum potius sit ratio, ob quam *Causa* in actu secundo, constituitur. Insuper *Imputatio* *Causam* in esse suo constitutam demum consequitur, ut accidens necessarium, non quidem intrinsecum, sed extrinsecum, & extrinseca denominatione ad eam terminatum. Nec non ex ipsa quoque Definitione elicitur & indicatur quidquam, quod non est *Imputatio*, sed ab ea aliquid diversum, quod formaliter rationem *Causæ* *Moralis* constituat, ejusque propriam & nativam exhibeat *Causalitatem*, expresse enim in datis definitionibus dicitur; quæ ita se gerit, ut ei imputetur effectus, proinde imputatio ipsa causalitas ejus esse nequit, sed requiritur aliud aliquid, ex quo imputatio effectus consequatur, vel ad premium acceptum vel ad damnum nocivum. *B. Slevogt. Diss. 6. Acad. S. XVIII. p. 704.* arbitratur *Causalitatem Causæ Moralis in Motione positam esse, ob quam effectus tribui causæ morali possit, qua causam physicam ad agendum movet, qualis qualis etiam motio sit illa, ita non actio vel effectus causæ physice bonitatem vel malitiam moralem in se habeat, sed motio illa, qua movetur vel applicatur Causa physica, prout tantum agens liberum; Dn. D. Musæus in Institut. Metaph.* *Causalitatem* ejus in *Intentione* ponit & quidem tum directam tum Indirectam, sed cum actione vel certa omissione, aliquid ad effectum conferente conjuncta, quippe dum dicit, hanc eam à priori constituere in suo Esse. Est autem juxta ipsum *Intentio directa, quando aliquis ipso Voluntatis actu efficaciter effectum expetit.* Requiritur itaq; plenus *Voluntatis Actus*, quo ipso simplicis complacentiæ voluntas excluditur, qua quis explicante ipso Autore fertur in aliquid sine efficiendi vel quicquam eò conferendi desiderio. Ita lusor directè chartarum lusum intendit; quum chartam, ut ludat sumit, & invicem constituta ludendi ratione chartas inter collusores distribuit. Perficitur autem *Intentio Directa* duplici modo (α) Positive, quando aliquis vera actione agit, suadendo, jubendo cogendo, subministrando instrumenta & media, prohibens removendo, applicando agens ad patiens. (β) Negative, cum quis non impedit cum possit vel debeat,

beat,